

Zur

Gräfl.vom Hagen'schen

Majorats - Bibliothek



MÖCKERN

gehörig.

No 564

500
Wet

DE
AMBITIONE
CARMEN
MARTINI PILII
Septimontij,

A D
V. CL. THEOD. NIEVENBURCHIVM
*magni Senatus Belgici magnum
Præsidem.*

VIRTUTE DVCE, COMITE
FORTVNA.



LVGDVN I BATAVORVM,
Ex OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Franciscum Raphelengium.
cIo. Id. XCIIK

D E
AMBITIONE
CARMEN
MARTINI PITHI
September
AD
CL. THEOD. NIENBACHIA
LITERIS SEUERINIS DILECTIS MUSICO
TYPISQUE
ALITATE DACE COMITE
POLTANIA



LIBRARIA IMPERIALIS
EX OFFICINA PLANTINIANA
Ab Iohanne Plantino Raphaele Sculpsit
et Ioh. XCVII.

Ad clarissimum virum

THEODORVM NIEVENBURCHIVM

magni Senatus Belgici magnum

Præsidem.

NIMVS fuit hisce diebus aliquot , vir clarissime, tentare studium in me & affectionem Musarum ; num quæ olim solet, etiam perseueraret nunc esse; an potius post tanto spatio curā intermissam sui, par pari referre studentes mei vicissim omnem abieccissent, iratæ iratis animis suis. Cuius rei dum argumentū quæro, ecce offert se vitiorum omnium Regina Ambitio , carminis , si quis amplecteretur, materia nō inconueniens. Quam ego arripui eo statim lubentius , quod inter mortales hodie hæc lues regnat maximè, nec tam abiectum quicquā aut vile vspiam

A 2 gentium

gentium est, quod non infestetur à
 tumidâ istâ & male-suadâ Diuâ. Ita-
 que pertractauit cā: sed successu quo
 potui quam volui magis. neutiquam
 enim in eā satisfactum à me mihi.
 cauissâ duplex, grauissimus morbus
 tuus, & temporis breuitas. Nam cùm
 fauorem Musarum explorare pro-
 positum esset, eoq̄ie renderet susce-
 pta scriptio hēc omnis, euenit, nescio
 quo meo fato, vt quo tempore ego
 hēc cuderem, tua claritudō eū mor-
 bo cōflictaretur periculosisſimō, qui
 vt dolores attulit tibi intolerabiles;
 (nam tu quidem præ iis animā agere
 s̄ape renuntiatus es) ita mihi omni-
 busque quorum amor & perpes stu-
 dium erga diuam Iustitiam, eosque
 omnes qui magni in eā, languori
 constitit incredibili, vt equidem (de
 meloquar) quæ agerem minimè age-
 rem, & animumque tantum abest vt
 expe-

5

expeditum curis, qualem requirit
musæum hoc studium, ad scriben-
dum applicare potuerim, ut is mihi
torpuerit planissimè præ mærore.
quid multis? carmen natum langui-
dum & clumbe est, quodq. animum
referret ægrotum auctoris sui. Nec
possum tamén ut irascar Musis, qua-
rū de voluntate necdum liquere mi-
hi satis potest, quasque doloris ma-
gis impatiens quam odio mei in-
cœptis nostris aspirasse minus, veri-
similius arbitror. Accedunt tempo-
ris angustiæ quibus miserè exclusus
sum. Nam cùm totus in eo essem vt
inchoatam relam pertexerem, subito
exorta negotiorum seria tempestas
est, quæ illam mihi abruptit penitus,
vt aut abiicienda prorsus aut semi-
plena in lucemmittenda fuerit. Quo-
rum præstigium alterum yisum mihi
dare dicare meritissimo nomini tuo;

A 3 non



non quòd claritudinem tuam beneficiolo hoc demererri posse sperem,
 (nimium enim quantum ab istâ cogitatione absum) sed, quo securior
 nouam lucem aspiceret nouus partus, patronum ut te illi & defenso-
 rem parem, præsertim cùm id meo
 iure aliquo facturus videar, si cuius
 mihi improspera valetudo abortio-
 nis caussam dedit, eius auctoritatem
 securitatis asylum, implorem mihi.
 neque enim me latet quām multis
 calumniarū protelis poëmatium hoc
 nostrum obnoxium erit: ad quas ta-
 men omnes animū obfirmaui priùs
 quām ad scribendum adieci. Et re-
 sponsum semel à me velim liuido
 isti & inertī vulgo, desinant in alie-
 nis curiosi nimis esse, ipsi verò præ-
 stare nihil. Si tanquam de te seriā &
 profuturā multis laudem hinc spe-
 rem aut spectem, culpandus non im-
 merito

7

meritò sim : siñ Iudos palam profiteor , & latere tecto abscedere tantummodo desidero , quid est quòd adeo damnerat carmen , inquit , in elegans est , & parci debuit chartis immerentibus . Sanè concedo equidem inelegans esse , sed quæ caussæ fuerint antè retuli , eo calumniator dentem , si libet , conuertat suum : chartarum autem iam demum misereri incipere , stultum , aut certè serum nimis est , ut quæ sine omni gratia ita perierunt haec tenus & pereunt quotidie . Vnica calumnia supereft ; quòd qui Praxis percipiendæ gratia à parentibus ablegatus huc sum , non debui tempus perdere inutiliter inutili studio . rogo autem te quicunque iste eris argutator , num quæ animi contentio in occupationibus seriis possit esse tanta , vt nullus ab eâ yngquam remissionibus locus concedi debeat ?

A 4

debeat?



debeat? quodque temporis recreatiōni atque exercitio corporis tantum insūmunt alij, id si ego oblectāmento animi impendam simul, quid tantoper peccem? si ambulando corpus, meditando animū reficiam meum? Et nouerunt illi qui me norunt quām hæc talia soleant aliud agenti excidere mihi potius, quām cum curā & labore exprimi. Ita ut Iudei hi nostri in communis versiculi reprehensionem, meritò non incidant,

Tὸ μὴ πάρεργον ἔργον αὐτὸς ποιείει,

Tὸ δὲ ἔργον αὐτὸς πάρεργον ἐπονεῖει.

Sed de istis iam satis superque stat nunc mihi vir clarissime exoranda magnitudo tua, ut hoc quid est illepidi & infaceti carminis suscipere dignetur serenatā fronte, humile quidem per se & abiectum: sed quod plurimum tamen ponde-

9

ponderis ab animo meo mutuaue-
rit, quem in istiusmodi spectari à te
certò scio. Quod si etiam non yf-
queadeo improbare sensero magni-
ficentiam tuam, non tam hoc præ-
stantiæ carminis mei, quām in aliis
etiam conatibus nostris expertæ be-
niuolentiæ eius adscribam. In quā
ego acquiesco & desino,

Magnitudinis tuae cultor
obseruantissimus

MARTINVS PILIVS
Septimontius.

M. T. I. II.
A. 5. A. 6. A. 7. A. 8. A. 9.
Patria excedens curviperit oīlo boīte
Nundinatio Piratiq. b. nūdīda. d. d. d.
Begonum ecce lexon corunt. T. m. p. r.
Hujor. N. f. s. t. c. l. h. i. d. f. c. s. i. m. b. e. t. p. d. e.
D. c. m. e. s. u. n. o. s. t. u. n. o. t. f. i. n. g. P. l. i. l. a. c. a.
B. a. r. t. o. .

IN M. PILII CARMEN
De Ambitione.

AMBITIO Pilij languebat saucia telo
Iam detecta gemens fictæ ludibria laudis:
Pro meritis que's VERA suu dum GLORIA vatem
Altius euectum insequitur, fulgentior ipsa
Lumine pressa suo est, & tantæ fulmine lingue;
Nec potuit volucri Pylium comprehendere cursu
Teli instar rapidu & Fame ultra regna volantem;
Ipse suas donec Laudi addidit Ambitus alas.
Sic, exambitos Pilius dum spenit honores,
Ulro illum nunc ambit honos, sic Ambitus ipse,
Ut vitam inueniat, mortem sibi querit ab illo.

I. DOVSA F.

ALLVSIO B. VVLCANII ad nomen
M. PILII.

QUOD sua conueniant interdum nomi-
na rebus,

PILIVS exemplo cuiilibet esse potest.
Nanque tuo PILI pilo, patriisque sagittis
Perdomita ecce ferox corruit Ambitio.
Fallor, Nestoreæ PILI id facis impete lingue:
Deme annos, minor haud PILIVS es
PYLIO.

A.D.

A D

Polissimum carmen

MARTINI PILII

Iuuenis eruditissimi, in
Ambitionem.

FALLACEM nebulam furiali percitus igne
 Ixion coitu presset ambiguo,
 Quam Lapithas, dirumque genus, quod frontis honorem
 Dedecorat cauda, progeniisse ferunt.
 Haud secus ambitio, dum nubem prensat inanem,
 Passim per terras effera monstra serit.
 Stultitia follem, qua spe ventosa resultat,
 Atque siuim potis qua stimulatur aquis.
 Hinc siccum, insidias, boleto incocta venena,
 Tela, faces, scisso tegmine dispidium:
 Phœbus at hanc prolem vibrata sibila lingua
 Lambere, & exultim voluere terga videns
 Arcum corripuit, mox tela fidelia neruo,
 Hos angues multa sternere cæde parans.
 Quem simul ac ducto lunantem cornua telo
 Pilius aspergit, ponere tela iubet:
 Atque ait, In capreas volucrem conuerte sagittam,
 Gloria carminibus conuenit ista meis.
 Cynthius adrisit, raptumque è vertice laurum
 Temporibus PILI protinus apposuit.
 Ille furens doctè, diuino concitus oestro
 Promit Maenias ingeniosus opes.
 Non sic de Rhodopes abrupto vertice, torrens

Scindit



Scindit iter: nec eo turbine grando ruit;
Pilius ut pleno modulatur flumine versus

Cuius vorticibus mergitur ambitio.

Gloria vincita silet manibus post terga retortis;

Larua cadit victa, cætera turba fugit.

Sed timeo ut sumat tanto victore superba

Ipsa à clade animos, ambitiosa magis.

Petrus Molineus Aurel.

AD MARTINVM PILIVM

Scazon.

PELLE hancce, pelle ad extimas plagas mundi
Terperfidam quaterque peieratricem,
Forique tabificam atque Curiæ pestem,
Pestemque cæli, pelle ad ima Plutonis

MARTINE regna. Nam quid ista mortales

Torquebit ultrâ semilerna crudelis,

Fucata, mendax, fastuosa? demerge

Caput ferentem super ad usque conuexa.

At heu malorum hic unus omnium cardo est,

Sapimus, abundè, apteque rhetorissamus,

Sed facta dictis dissonant probis, praua.

P. Bertius.

1600

DE

DE AMBITIONE 13
CARMEN

MARTINI PILII SEPTIMONTII,
AD

V.CI. THEODORVM NIEVENBURCHIVM
magni Senatus Belgici Praesidem.

DICENDA Ambitio. Vos ô pia
numina Musæ,
Tûque pater Musarum, atque alti
carminis auctor
Phœbe faue, tenuique potens blan-
dum annue cæpto,
Et genus, & formâ memora, & quibus horridatotû
Concitet Ambitio terrarum motibus Orbem.

Principio cælum, ac terras, & cœrula Ponti,
Qui stabili regit imperio, & quæcunque sub auris
Missa per immensum vitali lumine gaudent,
Cuncta homini subiecta, hominem sibi fecerat vni.
Illâ lege tamen ne quando per auiâ gressus
Flecteret, oblitusque sui, dominique potentis
Sceptrum affectaret scelere, & cœlestia regna:
Si faceret, sceleris certam fore præmia mortem.

Iussorat Omnipotens. verum secura iubentis
Gens humana nimis, rebusque elata secundis,
Quo Satanas vocat & dominandi insana libido
Prora ruit, dextrâque (ô diros, Iuppiter, ausus!)

Fatali

Fatali tristem decerpit ab arbore fructum.

Turn pater omnipotens calidâ in flammatus ab irâ
Debita sacrilegis persoluit præmia factis,
Quóque prius dignatus erat spolianit honore
Infidum genus, & letho dedit ire rebelles
Pérque ipsos, & post per secula sera nepotes
Venturos, nulloque premi discrimine gentes.

Ergo cito terris Virtutum turma relictis
In celum properare gradu : succedere contrâ
Orci progenies Vitiorum secla nefanda,
Iraqg, Insidiag, & opum furiata cupido, (nes
Fraudesg, & Timor, atq; Minæ, Discordia, & om-
Quotquot in immenso mortalia pectora turbant
Myriades Vitiorum. has si comprehendere coner,
Et simul equoreas numero comprehendere arenas,
Et simul ignitas coner comprehendere stellas.

Tum verò Ambitio tantorum causa malorum
Emicat exultans, successûque ebria laet.
Quassat ouans immane undantes vertice in alto
Vipereos crines, ciet horrida voce cruentâ
Funestas sociarum acies, ac sedibus imis.
Si qua lues qua reiset adhuc iubet ire sub auras,
Vitales auras, nec natas naribus istis;
Tu modo nate Deo monitis scelerate maneres.

Illam tartareis Stygius pater extulit antris
Humano pestem generi, ac virtutibus altis ;
Nam fore sacrata que Religione timeret

Terra-

Terrarum dominum, celi, oceanique potentem
 Progeniem audierat, sibi cum furialibus aruis
 Venturam exscidio, ruituraque pallida regna.
 Hoc metuens pater Orcus ab acri percitus ira est,
 Atque odio simul exarsit crudelis acerbo
 Ventura & sobolis; plangebant atria Ditis
 Ingenti perculsa malo, timor omnibus idem.
 Iamq; ferè in formas sese conuerterat omnes,
 Hac molitus & hac instantem auertere pestem
 Tartarea sedi, & minitantia ludere fata.
 Frustra fixa etenim manet, eternumq; manebit
 Fatorum series, nullo mutabilis aeo.
 Ergo ubi querenti inuenta est via nulla salutis,
 Cruidelis subiit vindicta dira cupido,
 Et quos effugisse nefas tentare nefanda
 Arte parat, si quā valeat turbare quietos,
 Multiaque perniciem differre in secula Regni.

Talia voluentem furiarum maxima Erinnys
 Ambitio rabido sic ore affata parentem est:
 Parce metu genitor; quo se tua cunque voluntas
 Verterit ipsa sequar, tua, maxime iussa capessam,
 Sine modo iussa precor, nec talia sperne rogantem.
 Si genus inuisum meritis agitare procellis
 Fert animus, miserisque moras innectere rebus,
 Quin tua progenies agitando deligor hosti,
 Cui velle & potuisse datū est? nec me horrida terrēt
 Fulmina, nec saui rutilantia tela Tonantis.

Namque

Namque meis in se se ut fulmina perfidus hostis
 Artibus irritet faxo, dum calica sceptrum,
 Dum regnum insociale, humeris augustius istis
 Posset iners, sicq; auxilio spoliabitur omni.
 Annue Rex, nateq; parens ne despice vires.
 Annuit immitus Pluto. volat illa per umbras
 Magnum ausura nefas, vitiis comitata profanis,
 Monstrum, horrendum, infidum, ingens, cui
 flammatus ardet
 Fronto oculus mediā, clypei vel lampadis instar
 Phœbeæ, tunc cū rutilus formosa iacentes
 Illustrat terras radiis, cœlumque profundum
 Nocte diéque patet Somni non periuus astro,
 Nec perferre valet requiem, iuuat usque videre
 Regalēque situs, atque altis m. enibus urbes,
 Regnāque nobilibus multum insignita triumphis
 Aspectat nocte que diésque, & fortibus ausis
 Si quem Fama virum magno decorauit honore,
 Observat famâ celebrem, terrisque relictis,
 Specie etiam cali medio defixus eodem
 Hæret in obtutu, ceu iam celestia spretis
 Anteferat terris. Tanta est insaniam monstri.
 Igneus est olli mentis vigor, omnia scrutans,
 Omnia vestigans optatae semina laudis: (per
 Nec mora nec requies sumet improba & anxias sens
 Spemque metumque inter, nunc regni clara futuri
 Fundamenta locat animo, nunc destruit urbes
 Ingen-

Ingentes, nunc & niueis innecta quadrigis
 Magnorum captiuia ducum trahit agmina bello,
 Insultans miseris inter Pæana canentes.
 Spernit opes alias, fuluique cupidine nullâ
 Dicitur, inseruit famæ nisi, quatenus, auri.
 Tunc non ultra satis loca vi munita situque,
 Que non peruadat tumidi violentia monstri,
 Quæque locis seruantur opes rapiatque feratque,
 Sacra, profana atris infestans omnia furtis,
 Ut male que iustis dominis extorserit ante,
 Mox empti peius pretium diffundat honoris.
 Summa imis miscere assuet a, atque infima summis
 Vnius ob miseri studium crudele trophei.
 Et quamvis odio Virtutum flagret amaro,
 Virtutes simulat tamen, & spe laudis adumbrat,
 Séque suumque nefas specioso palliat astu.
 Illi sape Fides immanis nescia fraudis
 Adiutrix fuit, atque indigni causa triumphi.
 Multum illi Pietas etiam, simulataque cura
 Injustitiae, in diris non raro profuit ausis.
 Hacq; solet furiare improuida pectora primum
 Arte fera Ambitio, quam si fortuna reueleret
 Aut lenior cura, & fraudes patuere nefande,
 Vim parat, & quos arte nequit, prosternere ferro,
 Multiques sanguineam per funera querere laurum.
 Nec partis contentam, iterum subit altera cura
 Insanâ captam nimium dulcedine fame.

B

Non



18 DE AMBITIONE CARMEN

Non si illi lauris centum sint, regnáque centum,
 Sic fuerit satiata fames, sic dira cupido
 Cesserit, & vacuan curis se præstet ab istis,
 Nec patiens consortis auet clarescere sola,
 Sola colis, nullosque in partem admittere laudis.
 Non impunè aliquis se illi comparet usquam,
 Nec consanguineus si sit, nec si pater ipse,
 Aut dulces nati: cedit cognatio fame.
 Si defit terris potiundæ copia laudis,
 De celo petitura polo est (mirabile dictu)
 Nullaque sit sancti cupidæ veneratio Regni.
 Tam rabidus famæ mentem furor occupat ægram!

Hanc secus ac si cum totis se viribus Hydrops
 Corporis infudit venis, & saeuus aquoso
 Intendit torpore artus, tum membra fatiscent
 Languida, debilitatque animos vis tabida morbi.
 Nulla quies miseris, sequiturque miserrima pestis,
 Fernuda aquæ sitis, in toto sint corpore quamvis
 Vndarum fontes, & stagna sonantia membris;
 Quoque bibunt magis, hoc sitiunt impensis vndam
 Turgentes artus, donec languore soluto
 Causa mali penitus de corpore cesserit ægro.

Aut veluti immanes auri qui struxit aceruos,
 Condus opum largus, sed promus parcior aquo,
 Cen defit alimenta sibi, maria alta pererrat
 Sedulus, & loca deserta petit inuia terra,
 Hinc atque hinc scrutator opum per saxa per ignes;

Nec

wpt

MARTINI PILII SEPT. 19

Nec pote tantarum sese vñquam copia rerum
Offerat his quin plura petat; sitis aspera surgit
Sedando, tum sacra fames grandescit ab auro.
Haud magis Ambitio cumulis satiatur honorum.

Quæ postquā miserū nō vanis fraudibus Adam
Implicituit, terrisque fugā petiere relictis,
Virtutum pia secla poli sublimia tecta,
Conuocat horrificas sociarum seu catervas.

Haud mora, cōueniūt, bacchantēq; agmina circuī
Iussa petunt. Non illa sui, non illa secundæ
Fortuna tum visa potens; quater ardua monstrans
Sidera, fulgentēmque polum radiantibus astris,

En, ait, o sociæ, quos in procul orbe recessus
Corripiuere fugam, quales petiere latebras
Aduentu time facta meo vanissima bello
Nominavirtutum, & vacuis ludibria terris.
Si pauidæ gentem nequiere instantibus vñans
Eripuisse malis, & opem præstare paratam,
Idq; satis sciueret; quid, o, cœrvindice lapsu
Sedibus ethereis terras petiere volentes?

Sin contra est, potuítque instantem illas aruinam
Effugere, auxilioque dato seruare decorum
Gens humana suum; qui an am pernice volatio
Terga dedere fere ante tubam, terrique relictis
Nunc procul ethereis spatiantur turpiter oris?
Nempe fuit satius placidum sine vulnere celum
Scandere mox, iterumque beatæ agere otia vite,

B 2

Quam



20 DE AMBITIONE CARMEN

Quam sibi permissam castu defendere gentem.
 Sed procul abfuerint procul, ô, procul aethere in alto
 Deliteant licet, & secura mænibus istis
 Despiciant tumidis vndantem fluctibus orbem,
 Dum mihi terrarum vasto, pelagique sonantis
 Imperio cedant, dum gentem inimica ferentem
 Secum fata meis liceat terraque marique
 Exercere malis variis, regnique futuro
 Inferias patri miserandas reddere busta.
 Nunc alia, ô, dulces vix restat cura sodales,
 O fide comites, quibus haec victoria parta est,
 Quam latos agitare dies terrasque per omnes
 Insperata annis percurrende gaudia letis,
 Gaudia, (prob!) lucis non unquam cognita auernis.
 Illic namque situ loca senta, ac tristibus umbris
 Horrida, luciferoque procul distantia sole,
 Omne per horrisonis resonant stridoribus eum,
 Aeternis damnata pauroibus, exsulat omnis
 Letitia, atque hilarent que fessam gaudia mentem.
 Ipsius & domini quoque furua palatia Ditis
 Informi squallent limo, flat luctus in illis;
 Umbrarum quamvis late rex imperet Orco.
 Haec vidistis enim sociæ, & meminisse potestis.
 Nunc vos quod tandem meliori in sedelocate,
 Laus comites laus tota mea est, ego fraudibus Euam
 Magnificis domui, per me iacet inclitus Adam,
 Quique bis postgeniti venere in luminis oras

Imperiis

Imperiis cessere meis, iacet omnis ad unum
 Gens hominum arbitriis vbi cung, obnoxia nostris.
 Nos modo quæ virtus peperit mea, fortibus ipsæ
 Tudemur factis, ne se victoria retro
 Vorterit, & victis communia fat a feramus.
 Nam si forte mali percepto pondere quondam
 Supplicibus superum manibusq; ac voce supremam
 Implorarit opem scelerum pertesa suorum
 Perfida progenies, nosque his damus otia rebus;
 Flectentur faciles superi, miserisque popello
 Lenior Omnipotens in nos omnem euonet iram,
 Moxq; iterū ad gelidas qua venimus ibimus umbras
 Desolatæ acies & lamentabile vulgus.
 VNA salus victori hostem timuisse iacentem,
 Et turbare fugam ne fallax palma resultet.
 Sepe etiam vires victis ac robora casus
 Indidit, & cœpere animosi à cladibus ausus.
 Quarè agite inuigilemus. Amat victoria curas.
 Gentibus incessam gentes, atque urbis urbes,
 Arma armis sunt, ô comites, sunt ausibus istis
 Mille pares artes, aditus sunt mille nocendi.
 Vndabunt falso cumulatis stragibus urbes,
 Desolatæ urbes, & fuso sanguine campi
 Vndabunt, liceat tantum indignata videre
 Ipsa elementa nefas, calique audire fragores.
 Tunc ô, tunc lacrimis excita ac voce suorum,
 Egregium celi genus, & sat a Numinis proles,



22 DE AMBITIONE CARMEN

Depugnant trepida Virtutes turribus altis,
 Inde satis tuto missura in prelia vires.
 Nos verò interea solas vicitricibus armis
 Raptimus terras quā matutinus ab undis
 Surgit agens Titan candentem lampade currum,
 Et quā præcipiti lapsu se mersat in undas.
 Horrentes umbras fugiens noctemq; profundam,
 Nullus erit nostris imperditus angulus ausis.
 Occultus lateat licet angulus, omnibus oris
 Improuisa graues sumam cum sanguine penas.
 Sed certā sine lege nihil, sine & ordine certo
 Caepandum comites, ne sit confusio fraudi,
 Vincamurque inopes tantarum in limine rerum.
 Reginam meritis præstantem, & fortibus ausis,
 Quæ populum lucis Erebis atq; horrentibus umbris
 Assuetum, subitaque stupentes luce phalangas
 Arte regat, regnique nouas moderetur habenas,
 Eligite, ô, de tot numerosis millibus unam;
 Hoc pater ipse velit Pluto, velit ipsaque coniux
 Persephone, quique hos iuxta dominantur Auerno.
 Si merui, nostroque tenetis munere terras,
 Ejecto procul hoste, & celi carpitis auras,
 Me dominam eligite, & meritas persoluite grates.
 Faxo erit inferior meritis ea gratia nostris.
 Sic fata Ambitio, tacito stetit ore cruentum
 Præciens animo regnum, prædámque futuram
 Humani generis; furit implacabilis intus,

Dabundat

Intus

Intus alens pestemque ferā mortemq; tremendam.

Qualis in umbris feris ubi per viridiania siluis
 Pascua balantūmque greges, armentaque leta
 Infido aut nullo pāsim custode feruntur,
 Prospiciens alto de vertice montis anhelo
 Contendit cursu quā fert via cæca per umbras
 Toru a leæna, micant oculi, & fremit ore cruento;
 Quāque ruit catulos secum trahit: illa periclit
 Secura, & multū properantis nescia fati,
 Gramina depascunt campis, aut corpora ponunt:
 Donec ab horrisono fremitu, & stridore iubarum
 Territa diffugiunt, siluāmque ululatibus implent.
 Non aliter præde intenta est, inhiātque cruori
 Pestifera Ambitio, & socia incitat agmina dictis.

Tum latè insonuere tremendo murmure campi,
 Et dominam magno comites clamore salutant
 Seruaticem Erebi, Stygi tutamen Auerni.
 Duceret in trepidos hostes, daret ergo futura
 Pugna signa suis, quo duceret ire paratis.
 Mergeret inuisam crudeli funere gentem,
 Et patrium hostili firmaret sanguine regnum.

Talia clamabant comites fremitūque sonoro
 Ingensuit tellus concussa, & sidera cœli
 Ingemuere, vagis tremuit Neptunus in vndis.
 Ceu cū terrifico Mars & Bellonatumultu
 Erexere tribes populorum & regna potentum:
 (Sine illis fuerit scelerati causa duelli

24 DE AMBITIONE CARMEN

Ambitio, siue ira fuit, siue impulit auri
 Sacra fames, seu sit vindictæ diræ cupido.)
 Ut bello coiere acies, & cœpta moueri
 Signa loco, accenditque animos crudelis Enyo;
 Continuo horrisonus pauidum ferit æthera clamor
 Armorūque virūmīg, tremit latè excita tellus,
 Et maria ingentem horrescunt vicina tumultum.

Ergo ubi se Ambitio regno votisque potitam
 Esse videt, sociasque videt se poscere pugnam,
 Dat bellis signum, simul agmina sœua sororum
 Reginâ præcurante ruunt, sonitûque tremendo
 Iuadunt glomeratim orbum virtutibus orbem.

Non ita cum nigro brumali tempore calo
 Nubila tempestas oritur, visque aspera venti.
 Perfurit, & magni volvuntur in æquore montes,
 Grandor ruit super arua, & frondes decuit altis
 Arboribus, segetesque, & tecta sonantia mæsti
 Proruit agricole, numero licet ignea celi
 Sidera, & innumeræ pelagi præcurrat arenas.
 Tot terris simulacra volant, tot cincta sororum
 Millibus Ambitio peritum fertur in orbem.

Quis mihi nūc clade mundi, quis funera gentis
 Explicit humanæ, possitue æquare dolendo?
 Tunc credo ingenuere graues miserata labores,
 Infandum miserata nefas, plorantia celo
 Agmina virtutum, turbata palatia luctu,
 Cælicolum regis, regemque doloribus iectum,

Optauisse

Optauisse adeo manuum monumenta suarum
In sua principia & massam revoluta priorem.

At te sacrilegum caput, exitialis Erinnys
Humani generis, te perfide, vestifer Adam,
Vit auisse nefas decuit, nec scena momentis
Coniugis insanis tantum confidere verbis:
Euaque nunc staret, tu nunc sine labe maneres.

O que bicipiti iuga vertice Parnassea
Diua colis, que Castalios bibis ore liquores,
Et sacrum aeterno demulces carmine fontem;
Mus a mihi memora, qualis, postquam vndig terras
Ambitio temeravit atrox, & ceca latenti
Infecit large mortalia corda veneno,
Qualis tum rerum status, & quis mundus ab ortu
Solis ad occasum, quibus arsit cladibus Orbis.

Exempla vario misceri turbine rerum
Mundus, & horrendis quassari motibus aeger.
Nam quibus optat & placidi summa tempora vita
Fas erat ante malis longe transmittere curis,
Ambitione procul, procul infelicibus umbris,
Nunc onnes furor vnius agit, stimulatque superba
Laudis amor, gentesque sinit requiescere nullas.
Non etas morbo non sexus tutus ab illo est,
Nullaque conditio persone, nullaque rerum:
Magna minuta, pari summa infima peste laborant.

Ipsi terribiles claris ceruicibus una
Hoc reges subiere iugum, quamquam inclyta regna

26 DE AMBITIONE CARMEN

Multa premant latè imperiis populosq; frequentes.
 Hi fame stimulo, & sceleratæ laudis amore
 Quà fas atque nefas aliena in regna minaces
 Igne ruunt ferróque & cædibus omnia miscent
 Sanguine mercantes lauros & sanguine regna.
 Sicque alia ex aliis captatur gloria bellis,
 Quod magis vincunt, magis optant vincere, donc
 Imperium terræ dominum cecidisse sub unum
 Contigit, & gentes vni parere Monarchæ.
 Tunc etiam tunc vix animis infanda facessit
 Ambitio, & tantis ceu rebus desit, inanes
 Sollicitat curis mentes & pectora turbat.
 Nempe hinc sèpe vagum sulcarunt nauibus æquor
 Sceptriferi reges, tempestatésque furentes,
 Et pelagi potuere ingentes ferre labores.
 Dum regni noua sceptr'a noui, dum perpeti missi
 Festinant alios in mundo querere mundos.
 Insani! qui non didicerunt quantula rerum
 Sufficiant Naturæ, & quam breuis hora fugacis
 Vitai in tenues abeat mortalibus auræ.

Nec tamen externæ si desit copia pugnae,
 Si populo Mundus viè trici obtemperet vni,
 Ambitio silet, & laudis sublata cupido est.

Ipsi interfese, si non aliunde supersunt,
 Exercent regni proceres ciuilia bella,
 Quodq; prius strinxere aliena in corpora ferrum,
 In cines patriæ cognatique viscera vertunt.

Tum

Tum furit Ambitio, tum se attollit in auris

Leta malo, nec tam se iactat cladibus ullis,

Quam cum bella videt ciuita surgere regnis.

Illis nulla feras inhibet cognatio mentes,
Non germana viget concordia, dulcia non sunt
Pignora natorum, venerandique ora parentis
Vix sunt tutas satis; laudis fas omne cupido
Abstulit, & rapidis dedit in mare spargere ventis.

Hic stolido vanos dum pectore spirat honores,
Dum fame infidis nimium splendoribus amens
Nocte dieque inhiat, fraterno sanguine dextram
Inficit. Ille volens patrio succedere regno
Ante rogum tremuli, & properantia fata parciis,
Occupat infelix ferro miserabile corpus,
Et fatis cupit esse prior, rumpitque cruentâ
Fila manu natus, quem rumpere Parca pepercit,
Mox etiam simili casu moriturus ob illos
Quos scelere, & dirâ sibi cede paravit honores.

Hic dum presenti decore & successibus amplis
Non contentus auet maiora & sperat ab hoste,
Infidus patricie truculentis cedibus urbes
Obiicit innumeratas, promissaque premia saeu
Poscit ab hoste, fidem sperans quam prodidit ipse.

Ille pari morbo sed non successibus iisdem
Tentat idem, & miseros, ceu sint commercia, ciues,
Tot patricie ciues, totque oppida perfidus hosti
Addicit, pretio laudis spem mente volutans.

Demens!

Demens! sanguineis qui non astare paratam
Ulricem Nemesin sensit post terga flagellis.

Ergo ubi Proditio venit detecta sub auras,

Ille quidem sacro pro crimine Maiestatis

Subiicitur pennis meritis; tum criminis ab illo

Insontes etiam nec quicquam tale merentes

Persequitur miseros asperima pena nepotes.

Quam vellet moriens non induluisse furori

Vsque adeo, & modica potuisse in laude latenter

Securos cui placidi traducere Soles!

Nequicquam votis melior serisque vnlatu.

Nam crimen voluisse nefas, decuitque tenaci

Corde prius seruasse fidem, quam postmodum lexam

Intempestivis frustra decorare querelis,

Cum mors & fati supra caput imminet hora.

Sic miserè miseros non una clade potentes

Implicat Ambitio, perque hos miserabile mundum
Indignis mersat lacerum furiosa ruinis.

Quid memorem quos nec rerum fastigia longè

Mortales alios supra posuere, neque infra

Aut census brevior, generisue obscurior ordo?

Quos omnes simili prostravit turbine ceca

Ambitio, & flammis animos accendit iisdem.

Sed qui nec victa tam late incendia mentis

In populos spargant, nec tam manifesta pudendi

Signa sui morbi in lucem mortalibus edant:

Arte malum celant, ne si se putida quandam

Detegat.

PERPETUUM

Detegat Ambitio, nudataque turpiter ora
Ingenio
 Mortales animos imisis terreat umbris,
Contra
 Speratos nequacant seruare aut querere honores,
 Quorum non minima est male castis copia terris.

Hi quibus Ascreæ sacrata interprete iura
 Ore datum est reserare, & nodis soluere lites.
 (Namque Ascreæ domos terris irata profanis
 Cùm peteret superas, umbræ & simulacra reliquit
 Vana sui, cœsitusque hanc virtus quilibet umbram
 Ante coruscantem quam scanderet aethera pennis)
 Non quo caussarum componere fata inberet
 Diua Ascreæ modo, sed quo teterrima suadet
 Ambitio, populisque iubet decernere lites,
 Decernunt lites, & sancta oracula sanctæ
 Influctunt Themidos, ceu surculis arbore raptus
 Flectitur aut teretes limoso in flumine iunci.
 Vnde grauis latè circumstrepit oppida luctus
 Quorum causa fuit melior, sed Iudicis atrii
 Damnauit nigris sententia scripta tabellis,
 Culpaturque Ascreæ infestis vocibus insons,
 Cenit caussamали, ceu sit sententia sacro
 Ore Deæ prolata, & non tibi, pessime index,
 Qui partem in scœnam detoristi candida iura.

Sunt quibus assiduus vitam simulare decoram
 Et mentem niueam labor est, mōrēsque rotundos,
 Et patriæ eximiam mentiri gentis amorem,
 Interea vimunt brutarum more ferarum,

Ore



30. DE AMBITIONE CARMEN

Ore probi, sublesti animis, dum pectori toto
Conspicue flagrant ardente cupidine fame.

Sunt quoq; qui insignē pietatē & nobile fingunt
Relligionis opus, dum flumine prona secundo
Relligio fertur nullis agitata procellis.

Ergo boni cupiunt perhiberi, & mente dolosā
Christicolas cœtus, ceu Christi membra frequentāt,
Et ceu nille que ant pro Christi nomine mortes
Oppetere, aut grauiora pati (cauteria, cippos,
Verbera, vincla, cruces, aut si quid dirius istis)
Imponunt vulgo, penitus latet abdita fibris
Ambitio furiale vomens sub pectori virus.

Nec prius occultis prodit detecta latebris
In lucem impietas, & frāus manifesta patescit,
Quām male Relligio multari cœpit obortis
Vndique sacrilegis insultibus, vndique turbis,
Et retro pauitans cœpit sublapsa referri:
Impiatum pietas discrimine territa tanto
Concidit, & quem tum cursus quassata secundi
Relligio finem tenuit sortisque benigna,
Hunc pietas simulata sui, patet impia tantum
Spectauisse viros sperata præmia laudis.

Sunt alijs, cæcis quos si quando aurea terris
Relligio illuxit celi mysteria pandens,
Et sua permittunt pietatem tempora, nullo
Impediente, patens latè via tutu relucet.
Celica quâ scalis fidei fas scandere templas;

Quos,

Quos, inquam, vetat Ambitio dare nomina vita,
Et Christum venientem ultro palam ore fateri.

Quis furor, ô gentes, quæ tanta insania! curis
Vsq[ue] adeo miseriis rebusque ita vilibus omnes
Impendisse dies eui, vitamque per omnem
Divinam mentem, nec in istos cœlitus usus
Concessam vanis mersasse mapalibus orbis!
Nam quid erit præmis si regna Eo a triumphis
Occiduis iungas, si quot capit orbis honores
Possideas solus, tibi mundus seruiat uni,
Profuerint nil regna tibi, nil orbis honores,
Si, male conscientia mens, & se rea teste severi
Iudicis ora timet etiam dum carcere in ipso est;
Cumque erit illa dies quarectis debita factis
Præmia, quaque ausis pene tribuantur inquis,
Horrescet diu manantes ore loquelas,
Nec misera audebit mestos attollere vultus.
Tunc optet coluisse Deum, tunc sanguine fusō
Signauisse fidem, trepido turbante tumultu,
Et Christi unius meritis tunnisse superbam.
Incassum, neque enim post ultima fata cuiquam
Panituisse datum, licuit dum vita manebat
Permonuisse Deum, postquam calor ossa reliquit,
Vitaque carceribus fugit tremefacta sub auras,
Nulla salus speranda ulli, sententia tristis
Eternis restat penitus haustura nocentes.

Est genus in terris quo non sceleratus ullum

Tartareus



32 DE AMBITIONE CARMEN

Tartarus vexit Phlegethon, Stygiæq; paludes
Excepere sinu, quo non Acheronte profundo
Sænior, aut stagnis Cocytii pestis inerrat.

Ipse pater Pluto (cui Bellua militat vni,
Quemq; patrè veneratur, & in quo letat triumphat)
Suspicit audaces animos & robora natæ
Miraturque dolos, & se vinci arte fatetur,
Plurāque pallentes detrudi corpora ad umbras
Illiis auspicis, animasque in Tartara mitti,
Quam se cum Furiis unquam potuisse timendis.
Ipsa quoque Ambitio stupet illætabile monstrum,
Et ni se comites compellent nomine, de se
Incertum an dubitet, se dicat credula monstrum.
Sic animum tumor acer agit, sic fastus in ipso est,
Nec magis Ambitio leuis astuat: ardua regum
Degenerum pede colla premit, cogitque subire
Turpe ministerium miserorum carnificinam.
Quoque magis vitet famam Ambitionis, & orbem
In fraudem iniciat inclius, gentesque sequaces,
Prætendit vanæ spuria cæsaria Religionis
Somnia, & (heu!) placitis contraria dogmata Christi,
Hæcq; iubet, magni cœu sunt decreta Tonantis,
Denotis venerari animis & supplice lingua.
Quosque vetat sacris Pietas à legibus vnguem
Cedere, & ad monstri deliria flectere sensus,
Persequitur bello miseros, totumque per orbem
Dissipat humanae decerminavilia gentis.

Interea

Interea iacet indignis oppressa ruinis.

Relligio, ac tristi vix talia pectore fatur.

Alme parens, rerū genitor, terrorque malorum,

Solamēnque bonis, qui conscius infandorum

Pestifer & scelerum luis, atque inmanis Erinnys,

Per te oro miserere mei, da posse cruentas

Effugisse manus, da pestem pellere vires.

Cernis ut horribili furiosa libidine passim,

Sancte, tuis mortemq; minetur & horrida vincla,

Cernis ut insultet miseris: ruat improba ferro

Bellua, & innocuo qui constituere piorum

Sanguine commaculare manus, oraclaque templis

Tollere sancta tuis, iunctis & viribus instant

Bullatas Satanæ terris obtrudere nugas.

Nec minus ardenti flagrat prurigine laudis

Infima fex hominum, quasque his Natura negavit

Aut Fortuna vias ad honores, inuidam monstrat

Ambitio, illicitasque iubet tentare per artes

Si qua fatas inant humili se tollere vulgo.

Sed quid ego haec mecum? nō si mihi prouida centū

Pectora sint, totidemq; manus, totide oraresoluam,

Et mihi cum Phœbo Musarum, Helicone relicto,

Tota cohors promat validas in carmina vires,

Omnia commemorem mundi mala, perfidus ex quo

Adam letifero damnauit secula pomo.

Tot scelerum facies errant, tot in orbe figure.

THEODORO NIEVENBURCHIO
 magni Senatus Belgici magno Präside, morbo,
 singulari Dei gratia, defuncto pericu-
 losissimo, Epigramma.

MORTA volens clarū facinus quod gentibus esset
 Edere, quóque omnis Belgica mesta foret,
 Präsidis obruerat morborum fluidibus artus;
 Quo pánè ille abiit funere flos hominum.
Quæ tunc ardebas infelix Curia curis!
 Quibzque tuo gemitus lugubris ore daba!
Quæ non sollicito manarunt pectore vota,
 Parceret ut dirum Morta patrare nefas!
 Et iam fila manu fatalia Parca parabat
 Rumpere, nec vita spes super illa fuit.
 Ipsa viri dudum tristis Medicina salutem
 Desperans, iam iamque affore fati timet.
 Sed non & dominum quem morbida seila tremiscunt,
 Quem penes & vita moris & arbitrium.
 Ille, malis morbis, & te, mors seu, gemente,
 De fati reducem limine restituit,
 Et postliminiò tibi Curia cernere coram
 Inlyta præclari Präsidis ora dedit.
Quæ valeas viuam multos spectare per annos,
 Gaudia nec turbet tam bona, Parca tibi!
Quod te ero rerum sator & tutela bonarum,
 Sacrae Antistes vnicæ Iustitiae.
 Da pater exsuper ei longuos Nestoris annos,
 Consilium ut magno Nestore maius habet.
 Sic tua per cunctas celebretur gloria terras,
 Nullaque sit iussis gens inimica tuis.

Visum

Visum præcedentibus adnectere fasciculum aliquot
carminū sequentiū. beniuole lector (si quis modò
eris) boni hæc vt cōsulas & faueas te rogatū volo.

IN DISCESSVM CLARISS. VIRI

IVSTI LIPSI.

Nuper qui inspiens & spe deceptus inani
Mæonio ingentem carmine Lipsiāden
Ceu reducem cecini, & plausu strepere omnia circum
Gratantum audebam singere Lipsiāde:

* * *

I. LIPSI tanquam reduci.

DOUSA lyrā Phœbumq; manu accelerante resumit,
Lipsiādenque suum resonanti carmine clangit.
Mutant vota Senes quies edita mascula proles,
Et canis iterant cælestes oribus hymnos.
Dant latos Iuuenes plausus, ferit aurea clamor
Sidera, & abiecta reuocatur cura Mineruſ.
Oppressa immundo Schola puluere trifitiā
Puluere deterſo fit mundior. Anxia dudum
Curia ſe lucuſ ſoluit, iuuat illicet urbem
Linquere, porrectis & Iusto occurrere campis.
Tolleſ Leida caput tenebris, ſolēmque reuifit,
Et ſe mille procax non comparet urbibus altis.
Qui graniter dominum abſentem fleuere Penates
Inſtaurati animos noua pectore gaudia ſumunt.
Lipſiāda rigidis redditum gratantur ab oris,
Dousa, Senes, Iuuenes, Schola, Curia, Leida, Penates.

* * *

Nunc nimium tacuisse velim, vel dicta profundum
In mare precipites abripiuſſe notos.



Sed quia nec tacui demens nec dicta profundum
 In mare precipites abripuere noti;
 Stat dare vela retro, vanosque relinquere cursus;
 Et laetus mastos substituam gemitus.
 Cedite Maony cantus; Elegeia tristis
 Tristes ades, tristes prome Elegeia modos,
 Et modò quod letum fuerat face lugubre carmen.
 Hei nibi quod magis est lugubre conueniens!

I. LIPSI O non reuersuro.

Dovsa lyram abiiciens frontemque & pectora turbat,
 Et miser immani panè dolore furit. I. I.
 Vngue Senes capiti rilos extraxse capillos,
 Et nudam properant scalpere caluitiem.
 Quae prius ardor erat studio inuigilare Minerva
 In lessos Iuuenes soluimus & lacrymas.
 Munditiem Schola ferre nequit, minit atque ruinam,
 Et dabit infestis saucia vulneribus.
 Curia quam sauos corde hauriat agra dolores,
 Testantur luctus, iustitium, gemitus.
 Leida ingens quondam supra omnes gloria terras.
 Nunc latebras humilis quætitat & tenebras.
 Orbati lugent domino sacra turba Penates,
 Et querula audire est voce v'lulare domum.
 Dousa, Senes, Iuuenes, Schola, Curia, Leida, Penates
 Tridentantur reducem non fore Lipsiadem.

Ad

Ad amplissimos Senatus urbicum Aca-
deamicumque inclytæ reipub.

LEIDENSIS.

LVG D V N I in Batavis sacer & venerande
Senatus,
Ingenis umbra & nobile perfugium;
Quo nunc diutinis & honoribus inclytæ Leida,
Quo rebus dubiis preside tutæ fuit.
Vosq; o queis studium est animos formare docendo;
Insignes doctrinæ, probitate, fide;
En terris iterum Iani venerè Kalende,
Et novis impletis cursibus annis adest:
Sit tantum à curis fuerit ciuilibus otii,
Tamq; breues valeat patria ferre moras;
Bina dehinc bini cernent spectacula soles,
Materiam & Sophocles Euripiðesque dabunt;
(Ut sua crudeli fædorit viscera ferro
Ajax Argive gloria militie;
Fugerit & miseri preceps tentoria Rhesi
Cum socio exultans cedo Laertiades.
Oramus libeat humiles iniurere coetus,
Paruaque non tristi sumere dona manu.
Credo equidē in mediis, vobis spectantibus, umbris
Exsiliens Sophocles gaudio & Euripides;
Egregi yvates & qui meruere videri
A tanto, si fas dicere, concilio.

C 3

Car-

Carmen inscriptum Albo amicorum
 PETRI HERII sacræ Theo-
 logiæ candidati.

QVID petis, ô dulces inter numerande sodales,
 Petre, sacer Musis Christicolisque tuis,
 Audaci calamo sanctos temeraria amores
 Deterat exiguo in codice dextra meos:
 Nec capio ipse meos, nec charta prehendat amores,
 Et stupet ad tantum pallida dextra nefas.
 Tam variis mirum stimulis agitamus amoris!
 Penè tuam hanc sortem ut mereat Hespelius,
 Hespelius meus ille: cui cùm fata regabunt
 Vitales auras, & mihi fata negent.
 Namq[ue] illo sine vita mihi mors, gaudia tristes
 Aerumnæ, atatis robora languor erunt.
 Tunc voster trinæ, quondam mea cura, sorores,
 Tuque potens, dicam, carmine Phœbe vale;
 Parce aperire Helicona: tuus iam desino vates,
 Desino Castaliis posse madescere aquis.
 Huic tu tam caro (nec plurar equire) sodali
 Proximus es Pilio, proximus usque & eris;
 Vnde medo, Piliique in memor. sic mea Parca,
 Sic te, sic dulcem sospitet Hespelium.

In ora

In orationem **ÆLII FRANCISCI**
VANDER-WILII, quam edi-
 dit de Naturâ rerum.

NATVRÆ genium ingenio indagare sagaci,
 Et dare perpetuis qui potuere libris,
 Inuenti pauci, quos inter qui benè posset,
 Plurimâque breuiter scribere nemo fuit;
 Tantæ moles opus Naturam cernere, & eius
 Spectandus aliis exhibuisse vias?
 Elius hoc potuit, magnoque interritus ausu
 Fama conspicuæ nobile tentat iter.
 Hospes adi tantum; sunt huic sua Numinis libro,
 Et magè lectorem quæ repetita iuuent.

Ad virum doctissimum CORNELIVM
 REKENARIVM præcepto-
 rem quondam suum.

FLOS vatū, & Batava moderator fide iuente
 Corneli, nostræ maxima pars anime:
 Quo me sectatum memini duce castra Minerme,
 Et dare securæ nomina militæ:
 Accipe quæ dubij defendam dogmata Iuris
 Sub Beime clari presidis auspiciis.
 Munera parua quidem nec te meritissime digna,
 Sed tamen à nobis quæ potuere dari.
 Non quòd me ære tuo sic sperem soluere. nam qui

C. 4 Tam



Tam grandi possum soluier ære tuo?
Tantum agnoscere mens tibi me debere, tuoque

Prospicere hoc veluti pignore deposito.
Oridryo ó wellem pariter licuisset! amaris

Non ita torquerer sollicitudinibus.
Sed dura Paræ & nulli superabile fatum

Inuidit terris scilicet Oridryum.

Impia mors tantum potuisti extinguere lumen!

Tam dectum dirâ falce caput metere!
Si doctrina viri truculentio haud terruit ausu,

Debuerat saltem maximate Pietas.

Quæ nunc exanimem Batavas turbata per urbes

Nec quicquā ingeminat Oridryum, Oridryum,
Tēque tuūmque nefas inclamans: Impia Morta

Debuit hoc saltem non licuisse tibi.

Quid meus Oridryus potuit committere tantum?

Ille meus vitâ dignior Oridryus

Quam quisquā: sed tu quo quisquā est dignior ævo,

Hoc tollis citius pessima. cur citius?

Quo iure? hæc Pietas. nec me minor abstulit error,

Dum fatum & fai culpo satellitum:

Stultus. nunc veniam precor. ô date fata precanti,

Nene piè noceat indoluisse mihi.

Non ego te, Oridry, deslebo dinitus. absit,

Qui nunc aeterna perfruiri requie;

Et miseriis maior mortalibus ardua celi

Templa habitas animâ, perpetue laude solium,

Vt te

*Vt te ceu vitâ cassum querulo ore reposcam
Impatiens superos, atque redire velim
Multus ubi dolor est & luctus, & horrendarum
Ærumnarum ingens volnicius Oceanus.*

Ad IANVM POLYANDRVM
ministrum verbi Dei.

ALCEIDEN perhibent non sustinuisse duobus
Pugnando rigidas conseruisse manus.
Alceide deinceps maior perhibebere Jane,
Qui plures equas nomine, rēque viros.

Ad virum clariss. RHODOLPHVM SNELLIVM
de felici aetarum sub se tragœdiarum
successu gratulatio.

O S N E L L I quem cœlicole vesperantur.
Apollo,
Musæ, Horæ, Charites, Suada, Minerva, Venus;
Luminæ quod toties lepidis & pectora ludis
Demulces, peream ni tibi magnificæ
Debentur grates hoc nomine, multaque noxa
Quis quis non æquolumine Momus adest.
Nam per te humano litatum sanguine mæsti
Vidimus, atque Hecuba cede madere manus.
Tum Planti exhibita summacum laude Rudentem,
Quâ non, Roma, tibi dexteritate fuit.
Deinde infelicis fortissima pignora Atreïde,

Et Clytaenestræ flebile dissidium.
 Alceidenq; trucisque immanes Colchadis ausus.
 Romule vel Circus inuidiosa tuis!
 Vidimus hæc, nimiōque fatemur munere victos.
 O que tam dignis gratia sit meritis!
 Tollite letisonos super athera, tollite plausus,
 Saltem aliqua vi dignis gratia sit meritis;
 Et mecum, iuuenes, impuri scommata Momi,
 Et mecum Zoili ludite amaritiem.
 Sic vos sic quondam pariter venerentur Apollo,
 Musæ, Hore, Charites, Suada, Minerua, Venus.

Carmen inscriptum Albo amicorum
 BALDVINI MANNI amici
 singularis.

DVM procul à patriâ longinquas tendis in oras,
 Pañè mei patior pectoris exsilium;
 Moxq; nihil nisi fatus ero. prob. trixtia fata,
 Quis volupè est miseric me exanimare modis!
 Aut Mannum patriæ, vel me mibi sistite fata:
 Aut Manni saltem pectori vivifcer.
 O bene! iam externo calefunt membra calore,
 Et qui me fugitat pectori Mannus adest.
 Vade age Manne meus quo te mens nescia vestri,
 Quo te fata vocant vade age Manne meus:
 Parte tamen potiore tui patriæ que mihique
 Vsque aderis, nec erit Mannus in exilio.

IN DOCTORATVM
doctissimorum Iuuenum,
IACOBI DYKII,
IANI HORTENSII,
SVFFRIDI NIENHVSII.

QVID, ô, maligno dente, quid obstrepis
Insulse rerum mirio inanum,
Et Literatura inuidendum
Culmen iners odio fatigas?
Cen queis beatis cuncta sororibus
Momenta vite impendere, curaque
Musas nibil curare supra
Eximum studiis profanis,
Fastidiosis usque laboribus
Fallamus cui pricipites vias,
Tandemque nil feramus ultra
Perpetuos animi dolores:
Insueta Musis corpora fulgido
Splendere in auro contra & honoribus,
Omnésque, ceu Deos, per urbes
Conspicuis dare iura sellis.
Nempe atravano pectore sonnia,
Et cæca sortis munera lubricæ
Miraris, imponentiumque
Suspiciis instabiles triumphos,
Nec quæ sequantur, dura pericula,
Curas edaces, spes dubias, metus,

Et

Et Conscientia imminentes in
 Respiciſ aſſiduo tyramoſ, filibet
 Opes parataſ artibus improbiſ, laſſo
 Et mille mentis ſollicitate cruceſ, hanc
 Quæ noctuſ & interdiu miselloſ ſatyr
 Exagitant miſere potenteſ. v.d.
 Non illa celsa ſtat Sapientie Q
 Merces, nec iſtiſ aurea præmiuſ p. 111. 13.
 Contenta cultorem noxiuim C
 Dedecorat male grata doniſ. C
 Sed quæ malorum fida leuamina C
 Nec tollat auſter, nec furor hoſticuſ. C
 Nec ſeuius ignis, nec tremenda C
 Tela ruant inimica Mortæ. C
 O ter beatoſ & quater amplius C
 Quos illa amico lumine viderit C
 Non hiſ triumphatiſ ſuperboſ. C
 Ante feram imperiū tyraſſoſ. C
 Non aurum & amplias diuitiis Indie C
 Gazar, re poſtaſ quas gremio tenet C
 Capace, non quæcumque vastuſ. C
 Orbis habet homini expetenda. C
 Sed pauci ad ipſam qui Sapientiæ C
 Venere metam, quoſ labor anxioſ. C
 Non terruit, frigidi tenelloſ. C
 Illaqueans annuos voluptas. C
 Tantum eſt decoram iſſiſtere ſenſitam, C
 Verag. C

Vereq; cursum tendere gloria! II

Cen quis per obstantes ceteras P

Miles est radiante ferro. A

Ergo subactis riue periculis, T

Et deuoratis ritè molestiis, L

Gaudete, vicitricemque sacris. M

Temporibus religate frondem, O

Qui tortuosi iuridici studi, C

Legumque pugnas dissociabiles. G

Vicistis, & nunc dignata tandem P

Præmia percipitis laborum, I

Flores iuuentæ & lumina Batanae. E

O si mei res arbitry foret, V

Aut Musa Leto amica vultu L

Magnanimos animaret ausus! C

Quis eleuarem ad sidera landibus, I

Et quam canoro carmine dicerem V

Hortensiumque Dykiumque, L

Et Themidos Nienhusum ocellum! C

Omnique mactos landis adorea M

Legum patronos imperialium, V

Bronchorstiumque, Sosiumque, L

Et vigilis pia corda Beima! C

Sed ingenI me culpa redarguens I

Iubet foroces ponere spiritus, V

Tum Musa non amica paruo L

Magna vetat tenuare plectro. C

IN

IN NONNI
Paraphrasin reformatam, auctam,
versam operâ clarissimi viri
FRANCISCI NANSII.

NONNUM tonantem carmine Iehouæ
Demissa celo pignora, sanguine &
Partam impiis puro salutem

Gentibus, & populum furarentem,
Miris malisque distulerat modis
Prisci potens iniuria seculi,
Vix ut manerent lacinati

Pauca super ruta cesa Nonni;
Nec qui fouerent tristia vulnera
Vlli reperti, dum sibi quilibet
Ludibrium & vani laboris

Icareas metuunt ruinas.
Inde ante altis tot sine corpore
Seclis oberrat corpus, & omnibus
Neglectus (heu!) situ satiseit

Fronte sine, & sine calce truncus.
Ergo a uiterno pressa silentio,
Et nocte cœca perpetui situs,

Tam docta tam rotunda magni
Deliteant monumenta Nonni?
Noctes diebus noctibus & dies
Eone iuncti, ut nata simul forent;

Tam

Tam docta tam rotunda magni
 Intereant monumenta Nonni?
 Negat paratas ingenio ferens
 Diti medelas Nansius: huic parens
 Conterminam Natura mentem
 Ipsa dedit geniumque Nonno;
 Ut si quid alto pectore protulit
 Nonnus remoto tempore, Nansij
 Proferre id ipsum iam potesset
 Aut melius penetrare mentis.
 Testatur ipsum hoc nunc aliam gerens
 Formam ipse Nonnus, vindice Nansio
 Qui pristino datus nitor,
 Et maculis procul ire insis,
 Exsaltat oras visere luminis
 Perq; ora certus perque hominum manus
 Volare, non ulli paratus
 Cedere, Meonide nec ipsi.
 Ceu cum sencet am vere leberida
 Deponit anguis, mox tunicam induit
 Nouam, aruag, & campos virentes
 Deinde petit nitidus iumenta:
 Velut Fauoni, frigore in aspero
 Cum strata pigro flumina stant gelu,
 Tepor relaxat arua, & auræ
 Diffugunt hiemis malignæ;
 Mundus decorum & conspicuum caput

Effert



Effert latebris, profluant feræ
 Cartuḡ liberum pererrant
 Aëra secla avium sonoro.
 Que digna tantis que meritis tuis
 Nonnus rependat præmia, Semonum
 Ocelle Nansi? namque per te
 Qui modo vorticibus profundis
 Iacebat atræ mortis adobratus,
 Nunc sole puro purior exsilit.
 O Graeca Seire! ô probrosis
 Altior Inuidiae cachinnis!
 Donata per te vita tribus simul,
 Ipsiḡ Nonno, Nonni operi, & tibi.
 Nunc nunc eat, fruſtraque iactet
 Eurydicen Rhodopeius Orpheos
 A se euocatam sedibus inferis,
 Sænōsque lucitus post breue gaudium.
 Securiusve, clariusve
 Nansi acis nihil est triumphis.

FINIS.

1582

154603

FB 154603
(X2203733)





D E
AMBITI ONE
CARMEN
MARTINI PILII
Septimontij,

A D

V. CL. THEOD. NIEVENBURCHIVM
*magni Senatus Belgici magnum
Præsidem.*

VIRTVTE DVCE, COMITE
FORTVNA.



LVGDVN BATAVORVM,
Ex OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Franciscum Raphelengium.
c. I. o. xciiii.